De Situ Terrae Sanctae (Latin)

Theodosius the Archdeacon (c. AD 530)

SermonIndex.net / Church Fathers

De Situ Terrae Sanctae

Ciuitas Hierusalem habens portas maiores VI absque posticia, id est porta Beniamin exiens ad Iordanem, habens ab Hiericho milia XVIII; inde ad Iordanem milia VII. De Hiericho usque Galgala miliario uno. Ibi est ager Domini, ubi dominus Ihesus Christus unum sulcum de manu sua arauit; ibi sunt duodecim lapides, quos leuauerunt filii Israel de Iordane. De Hiericho usque ad fontem Helysaei milia II; ibi erat domus Raab publicanae. quae excepit exploratores.

Item de Hierusalem usque in Bethsaida milia XII, in qua Bethsaida uidit Iacob in somnis angelos ascendentes et descendentes de caelo. De Bethsaida usque in Samaria, quae dicitur modo Neapolis, milia XVIII. Ibi est puteus, quem fabricauit Iacob, ibi sunt ossa sancti Ioseph. De Samaria usque in Sebastea milia VI, ubi domnus Iohannes decollatus est. De Sebastea usque in Scitopolim milia XXX; ibi domnus Basilius martyrizatus est. De Scitopoli usque ad mare Tyberiadis milia XXIIII, ibi domnus Iesus Christus pedibus ambulauit. De Tyberiada usque Magdale, ubi domna Maria nata est, milia II. De Magdale usque ad septem fontes, ubi domnus Christus baptizauit apostolos, milia II, ubi et saturauit populum de quinque panibus et duobus piscibus. De septem fontibus usque in Capharnaum milia II. De Capharnaum usque Bethsaida milia VI, ubi nati sunt apostoli Petrus, Andreas, Philippus et filii Zebedaei. De Bethsaida usque in Paniada milia L; inde exit Iordanis de duo loca Ior et Dan. Ipsa Paniada in medio mittent et subtus ciuitate coniungunt ad pare et abinde accepit nomen Iordanis; inde fuit mulier, quam domnus Christus liberauit de fluxu sanguinis, nomen ipsius mulieris Mariosa; ibi est statua Domni electrina, quam ipsa Mariosa fecit. Ibi habet capud mons Libanus.

De porta Purgu usque ubi pugnauit Dauid cum Golia in monte Buzana, quod interpretatur lucerna, milia XV. De Buzana usque Eleuteropoli milia XV. De Eleuteropoli usque in loco, ubi requiescit sanctus Zacharias, milia VI, et de ipso loco usque ad Ascalona milia XX. De Ascalona usque ad Gaza milia XII. Inter Ascalonam et Gazam ciuitates duas, id est Antedona et Maioma. De Gaza usque ad Rafia milia XXIIII. De Rafia usque ad Betuliam, ubi Olofernis mortuus est, milia XII.

De Hierusalem usque in Silona, ubi fuit area testamenti Domni, milia VIIII. De Silona usque Emmau, quae nunc Nicopolis dicitur, milia VIIII, in qua Emmau sanctus Cleopas cognouit Domnum in confractione panis; ibi et martyrium pertulit. De Emmau usque in

Diospolim milia XII, ubi sanctus Georgius martyrizatus est; ibi et corpus eius est et multa mirabilia fiunt. De Diospoli in Ioppen milia XII, ubi sanctus Petrus resuscitauit sanctam Tabitam; ibi et cetus iactauit se uicto Ionam. De Ioppe ad Caesaream Palaestinae milia XXX; ibi baptizatus est domnus Cornelius a domno Petro et martyrizatus est. De Caesarea usque in Diocaesarea milia XXX; inde fuit Symon magus. De Diocaesarea usque in Canan Galileae milia V. De Diocaesarea usque in Nazareth milia V. De Nazareth in syce Taburi milia VII; ibi Domnus post resurrectionem apostolis apparuit.

De Hierusalem usque ubi baptizauit domnus Philippus eunuchum milia XVI. Inde usque Terebintum, quod appellatur ilex Mambre, milia II. De Terebinto usque ad speluncam duplicem, ubi requiescunt patriarchae, milia IIII. De spelunca duplice usque in Cebron milia II, ubi habitauit sanctus Dauid septem annis, quando fugiebat ante Saul.

De Hierusalem in Ramatha, ubi requiescit Samuhel, milia V. De Hierusalem usque ubi habitauit sancta Elisabeth mater domni Iohannis Baptistae milia V. De Hierusalem usque Anato, ubi natus est domnus Hieremias propheta, ubi et requiescit, milia VI. De Hierusalem usque Bethania milia II, ubi resuscitauit domnus Christus Lazarum. De Hierusalem usque in montem Oliueti, quod scribitur, stadia septem miliario uno; inde domnus ascendit in caelos; ibi sunt fabricatas numero XXIIII ecclesias. De monte Oliueti usque in uico Hermippo, ubi dormiuit Abdimelech sub arbore ficus annis XLVI, miliario uno, qui Abdimelech discipulus fuit sancti Hieremiae; ibi fuit Baruc propheta.

In ciuitate Hierusalem ad sepulcrum Domini ibi est Caluariae locus; ibi Abraham obtulit filium suum holocaustum, et quia mons petreus est, in ipso monte, hoc est ad pedem montis ipsius, fecit Abraham altario; super altare eminet mons, ad quem montem per grados scalatur; ibi Dominus crucifixus est. De sepulcro Domni usque ad Caluariae locum sunt passus numero XV; sub uno tecto est. De Caluariae locum usque in Golgotha passus numero XV, ubi crux Domni inuenta est. De Golgotha usque in sancta Sion passi numero CC, quae est mater omnium ecclesiarum; quam Sion domnus noster Christus cum apostolis fundauit. Ipsa fuit domus sancti Marci euangelistae. De sancta Sion ad domum Caiphae, quae est modo ecclesia sancti Petri, sunt plus minus passi numero L. De domo Caiphae ad praetorium Pilati plus minus passi numero C; ibi est ecclesia sanctae Sophiae; iuxta se missus est sanctus Hieremias in lacum. Columna, quae fuit in domo Caiphae, ad quam domnus Christus flagellatus est, modo in sancta Sion iusso Domni ipsa columna secuta est, et quomodo eam, dum flagellaretur, amplexauit, sicut in cera sic brachia eius, manus uel digiti in eam haeserunt et hodie paret, sed et facies omnis, mentus, nasus uel oculi eius sicut in caera designauit.

Sanctus Stephanus foras porta Galilaeae lapidatus est; ibi et ecclesia eius est, quam fabricauit domna Eudocia uxor Theodosii imperatoris. Piscina Siloe a lacu, ubi missus est Hieremias propheta, habet passus numero C, quae piscina intra murum est. De domo Pilati usque ad piscinam probaticam passus plus minus numero C. Ibi domnus Christus paralyticum curauit, cuius lectus adhuc ibi est. Iuxta piscinam probaticam ibi est ecclesia domnae Mariae.

Sanctus Iacobus, quem Dominus manu sua episcopum ordinauit, post ascensum Domni de pinna templi praecipitatus est et nihil ei nocuit, sed fullo eum de uecte, in quo res portare consueuerat, occidit et positus est in monte Oliueti. Ipse sanctus Iacobus et sanctus Zacharias et sanctus Symeon in nna memoria positi sunt, quam memoriam ipse sanctus Iacobus fabricauit, corpora eorum ipse ibi recondidit et se ibi cam eis praecipit poni.

Ibi est uallis Iosaphat; ibi Domnum ludas tradidit. Ibi est ecclesia domnae Mariae matris Domini; ibi et Dominus lauit pedes discipulorum, ibi et cenauit; ibi sunt quattuor accubita, ubi Domnus cum apostolis ipse medius accubuit, quae accubita ternos homines recipiunt. Modo aliquanti pro religiositate ibi cum uenerint, excepto carnis ibi cibaria sua comedere delectantur et accendent luminaria, ubi ipse Domnus apostolis pedes lauit, quia ipse locus in spelunca est, et descendent ibi modo CC monachi.

A pinna templi subtus monasterium est de casas, et quando aliqua earum de saeculo transierit, ibi intus in monasterio ipso deponitur, et a quo illuc intrauerint, usque dum uiuunt, inde non exeunt. Quando aliqua de sanctimonialibus illuc conuerti uoluerit aut aliqua poenitens, huic tantummodo ipsas portas aperiuntur, nam semper clausae sunt, et uictualia eis per muros deponuntur, nam aquam ibi in cisternas habent.

Ciuitas Cersona, quae est ad mare Pontum; ibi domnus Clemens martyrizatus est. In mari t memoriam eius cum corpus missus est. Cui domno Clementi anchora ad collum ligata est, et modo in natale eius omnes in barcas ascendunt populus et sacerdotes, et dum ibi uenerint, maris desiccat milia VI, et ubi ipsa arca est, tenduntur super se papiliones et ponitur altaris et per octo dies ibi missas celebrantur et multa mirabilia ibi Domnus facit. Ibi daemonia excluduntur, Si quis uero de uexaticis ad ipsam anchoram adtingere potuerit et eam tetigerit, statim liberatur.

De Cersona usque in Sinope, ubi domnus Andreas liberauit domnum Mattheum euangelistam de carcere... Quae Sinope illo tempore Myrmidona dicebatur, et omnes, qui ibi manebant, homines pares suos comedebant; nam modo tanta misericordia ibi est, ut ad stratas sedeant per peregrinos suscipiendos. Inde iam Armenia est.

In Aegypto ciuitas Memphis, ubi Pharao manebat, ubi et Ioseph in carcere missus fuerat; ibi sunt monasteria duo: unum est religionis Wandalorum et aliud Romanorum, hoc est Wandalorum sancti Hieremiae, Romanorum sancti Apolloni heremitae.

Caesarea Cappadociae, ibi est sanctus Mammes heremita et martyr, qui mulsit agrestia et fecit caseum, et sanctus Mercurius martyr. In ipsa prouincia est ciuitas Sebastea, ubi sunt numero XL martyres, quae est in prouincia Cappadociae. Ciuitas Gangra, ibi est sanctus martyr Galenicus, quae est in prouincia Galatiae. Ciuitas Euchaita, ubi est sanctus martyr Theodorus, quae est in prouincia Galatiae. Ciuitas Anquira, quae est in prouincia Galatiae, ubi est sanctus Platon martyr.

De montes Armeniae exeunt flumina duo, Tygris et Eufrates, et inrigat Tygris terras Assyriorum, et Eufrata inrigat terras Mesopotamiae, Phison autem inrigat omnem ter-

ram Aethiopiae et perexit ad Aegyptum, Geon inrigat terram Euilath et transit iuxta Hierusalem.

De monte Oliueti ascendit Domnus in caelis et ibi prope est spelunca, quae dicitur Matzi, quod interpretatur discipulorum, ubi Domnus, quando praedicabat in Hierusalem, requiescebat. [Ibi sanctus Ioannes euangelista super pectus Domini recumbebat.]

Ager Domini, qui est in Galgala, inrigat<ur) de fonte Helisaei, ferit plus minus modios sex, aratur mense Augusto medius ipse ager et occurrit ad pascham, et in cena Domni et pascha communicatur, et alia medietas, cum illud sectum fuerit, aratur et cum alia messe occurrit; ibi est et uitis. quam Domnus posuit, quae uitis in Pentecosten fructum dat et inde communicatur Constantinopolim et exinde tam de agro quam de uite transmittitur suo quoque tempore.

Ciuitas Leuiada trans Iordanen habens de Hiericho milia XII; in ipsa Leuiada Moyses lapidem de uirga percussit et fluxerunt aquae; inde maior aqua exiit, quae ipsa Leuiada omnem inrigat; ibi habet dactalum Nicolaum maiorem, ibi et Moyses de saeculo transiuit, et ibi aquas calidas sunt, ubi Moyses lauit, et in ipsas aquas calidas leprosi curantur.

In loco, ubi Domnus baptizatus est, ibi est una columna marmorea, et in ipsa columna facta est crux ferrea; ibi est et ecclesia sancti Iohannis Baptistae, quam fabricauit Anastasius imperator, quae ecclesia super cameras maiores excelsa fabricata est pro Iordane, quando implet; in qua ecclesia monachi morantur, qui monachi senos solidos per annum de fisco accipiunt pro uita sua transigenda. Ubi Domnus baptizatus est trans Iordanem, ibi est mons modicus, qui appellatur Armona; [mons Tabor in Galilaea est] ibi sanctus Helias raptus est. Memoria sancti Helysei, ubi fontem illum benedixit, ibi est et super ipsa memoria ecclesia fabricata est. Abunde Domnus baptizatus est, usque ubi Iordanis in mare mortuo intrat, sunt milia V, et ipse est maris mortuus, ubi Sodoma et Gomorra dimersae sunt cum aliis tribus, quae quinque ciuitates fuerunt iuxta mare mortuum. Ibi est uxor Loth, quae facta est statua salis, et quomodo crescit luna, crescit et ipsa, et quomodo minuitur luna, diminuit et ipsa.

In montem Oliueti Domnus super lapidem humeros inposuit, in qua petra ambo humeri eius descenderunt sicut in cera molle, qui locus Ancona dicitur, ibi et ecclesia fabricata est, ubi prope est ecclesia, ubi sancta Tecla est, et ipse locus dicitur Bethfage. Inde pullus asinae, quem Domnus sedit, adductus est, cum quo intrauit de porta Beniamin in Hierusalem.

Ubi legitur: Maris, quare conturbatus es, et tu, Iordanis, quare conuersus es retrorsum, et uos, montes, quare gestistis sicut arietes, et uos, colles, sicut agni ouium? [ubi] circa Iordanem est, hoc est monticelli sunt multi, et quando Domnus ad baptismum descendit, ipsi montes ante ipsum ambulabant gestiendo et hodie uelut saltantes uidentur.

Saraptha Sidoniae, quod scriptum est, in ipsa Fenice, secunda Syria, iuxta montem Carmelum. XII milia habet de Saraptha usque in Sidona et propter hoc dicta est Saraptha Sidoniae, quia ipso tempore metropolis erat Sidona a Saraptha, et modo Saraptha est

metropolis. Ubi sanctus Helias missus est ad uiduam illam, quae eum pasceret, et filium eius suscitauit, ibi ecclesia sancti Heliae est, nam nomen mulieris non dicitur nisi tantummodo uidua. Lazarum, quem Domnus resuscitauit, scitur quia resuscitatus est, secundam mortem eius nemo cognouit. Hoc in Bethania contigit secundo miliario de Hierusalem et in resuscitatione sancti Lazari in ipso loco ante pascha dominico omnis populus congregat et missas celebrantur.

In Arabia sunt ciuitates, quas Hiesu Naue destruxit, ubi manebant Amorrei, Gergesaei et Ferezei, tredecim, id est t Iuncta t Volumta, Medeua, t Musica, Filadelphia, Gerassa, t Genara. Vostra, Damasco, Gadara, Auila, Capitulia, t Astra.

Ubi est Hierusalem, prouincia Palestina dicitur, terra Chana, inde Galilaea, inde Syria, inde Mesopotamia. In sinistra Armenia prima et secunda Armenia et Persa Armenia, quae Armeniae sub imperatore sunt.

In prouincia Asia ciuitas Epheso, ubi sunt septem fratres dormientes et catulus Viricanus ad pedes eorum; nomina eorum id est: Achellidis, Diomedis, Eugenius, Stephanus, Probatus, Sabbatius et Quiriacus, quorum mater Caritina dicitur graece, latine Felicitas. Ibi est sanctus Timotheus, discipulus domni Pauli.

Iuxta montem Syna in Fara ciuitate, ibi sanctus Moyses cum Amalech pugnauit. De Hierusalem in Elusath mansiones III, de Elusath in Aila mansiones VII, quam ille Alexander Magnus Macedo fabricauit. De Aila usque in monte Syna mansiones VIII, si compendiaria uolueris ambulare per heremum, sin autem per Aegyptum, mansiones XXV.

Urbicius dicebatur praepositus imperii, qui ad septem imperatores praepositus fuit et coronas ipsis imperatoribus in capite ponebat et ipse eas de eorum capite deponebat et ipse eos castigabat. Est locus tertio miliario de Hierusalem ciuitate. Dum domna Maria mater Domni iret in Bethleem, descendit de asina et sedit super petram et benedixit eam. Ipse uero praepositus Urbicius ipsum lapidem incidit et fecit eum quadrum in modum altaris uolens eum Constantinopolim dirigere, et dum ad portam sancti Stephani ueniret, iam amplius eum mouere non potuit; quem lapidem unus iugus bonum ducebat, et dum uiderent, quia nullatenus potuerunt eum in antea monere, reuocatus est ad sepulchrum Domini et ibi altaris de ipsa petra factus est et de ipso altare communicatur. Tamen post sepulchrum Domni est. Ipse uero Urbicius praepositus sub Anastasio imperatore Constantinopolim moritur et t obrierunt. Quem Urbicium terra non recepit, tertio eum sepulchrum foris iactauit.

Fabricauit Anastasius in Mesopotamia prouincia ciuitatem, quae ciuitas Dara dicitur, tenet in longitudinem milia III propter Persos, quando in prouincia imperatoris ad praedandum ueniebant, ubi fossato figebant, quia aquae nullatenus inueniuntur nisi ibi; in qua ciuitate fluuius exit et ad capud ciuitatis mergit sub terra, quia ipse fluuius omnis muro cinctus est.

Ciuitas Melitine in Persa Armenia est, ipsa est metropolis.

Alia ciuitas Arauisso, alia Cocusso, alia Germanicia. In Persida ubi iacet corpus sancti Danihelis, Susa dicitur, XXX milia de Babylonia; ibi sunt et tres pueri; in qua ciuitate habitatio hominum non est propter serpentes et ippocentauros. Hoc Eudoxius diaconus dixit, qui de ipsa prouincia est.

Inuentio sanctae crucis, quando inuenta est ab Helena matre Constantini XVII. Kal. octobris, et per septem dies in Hierusalem ibi ad sepulchrum Domni missas celebrantur et ipsa crux ostenditur.

In prouincia Cilicia Aegea dicitur ciuitas, ubi XL dies commercia geruntur et nemo de eis aliquid requirit; si post XL dies inuentus fuerit negotium gerere, fiscalia reddit. In prouincia Cilicia ciuitas Tharso, inde Apollonius fuit. De Tharso usque Adana ciuitate milia XXX. De Adana usque ad Masista XXX milia. De Masista usque ad Anasta .... usque Aegeas LX milia. De Aegeas usque ad Alexandria Scabiosa LX milia. Ab Alexandria Scabiosa usque Antiochia LX milia. De Antiochia usque in Quiro, ubi sunt sanctus Cosmas et Damianus, qui ibi et percussi sunt, milia LX. De Quiro usque Barbarisso, ubi sunt percussi sanctus Sergius et Bacco, milia LX. De Barbarisso usque ad Eneapoli ... in Calonico milia LXXX. De Calonico usque in Constantina milia LX. De Constantina in Edessa LXXX milia, ubi Abgarus rex, qui domino Christo scripsit, manebat. De Edessa usque in Dara CXX milia. De Dara in Amida LXXX milia, quae est ad fines Persarum. De Amida usque Ramusa milia XVIII.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Itinera hierosolymitana saeculi IIII-VIII*** edited by Paul Geyer (Prague, Vienna, Leipzig, Tempsky, Freytag: 1898) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 39), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.